Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2005

Quelle:
Copyright:

Initium Opuſculi: *Glorioſiſſimo principi, excellentiſſimo Auguſto uictori Carolo Candidus ſalutem. Memini excellentiam tuam ſereniſſime imperator, multa nobis adſtantibus et ſeruientibus imperio gloriæ veſtrę dixiſſe ſæpius de abominationibus perfidę gentis Agarenorum. Et ideo hoc tuam totiens recenſere pietatem non ignoramus, quia ſicut omnium, ita et illorum ſalutis curam gerere non omittit* &c. Ait: juſſum ſe ab Imperatore ex libris veteris teſtamenti collegiſſe teſtimonia, *quæ filium dei iam tunc predictum nullis* (in illis) *libris oſtenderent*, veniamque petit, ſi fors a communi interpretandi via ſubin deflexerit. Allatis dein expoſitisque Teſtimoniis concludit: *Non ergo prædicamus nos Chriſtiani plures deos ſicut ille ſerpens introducere homini ſuadendo conatus eſt, ſed unum deum ſcimus eſſe et ſcientes prędicamus patrem verbi et verbum et ſpiritum amborum &c. Hic ergo finis ſit iſtius libri vt ab alio exordio ea quæ dicenda ſunt incipiant. Finit liber primus teſtimoniorum veteris teſtamenti de filio dei domino noſtro Jeſu Chriſto, continens prophetias de eo dictas ex libris quinque Moyſi et Joſue et Judicum.* Plus in Codice non extat Operis, quod fortaſſe *contra Muhamedanos* primum fuit, ſi modo *Candidus* noſter, aut *Fuldenſis* ille fuit ſcriptor *Chronici* et vitae Abbatum *Bungolfi* et *Aegilis* circa an. 820. cognomine *Bruun*, de quo *Fabricius Bibl. graec.* L. V. c. 34. et *Bibl. med. et inf. Lat.* v. *Bruun* et *Candidus*; ſive *Lindisfarnenſis* Britannus ille circa an. 790. Presbyter *Alcuini* in *Gallia* hoſpitio et amore fruitus, cujus operum jactura perculſus *Joh. Lelandus* exclamavit: *Peſſime ſit Danicis Piratis Lindisfarnenſis Bibliothecae depopulatoribus!* ita ex ejus *Scriptt. Cat.* referente *Thoma Tannero Bibl. Brit. Hibern.* p. 149. An Opus alicubi *productius*, an Codex *vetuſtior*, cujus noſter ἀπογραφον eſt, etiamnum ſuperſit, in magno Literatorum ſilentio ignorare me lubens profiteor. Poſterioris *Candidi* Opuſcula bina protulit *Pezius Theſ. Anecd.* T. I.

IX. *fol.* 22. *Confeſſio Orthodoxa de Sacramentis*, cui titulo alia manu, quam *Georgii Caſſandri* ex diverſis ſtricturis margini adſcriptis habeo, ſubjectum: *Agr. put.* Dimidias has voces, quae per Codicem frequentius occurrunt, ipſius *Caſſandri* ψευδωνυμιαν eſſe, ex adnotatione ſolertiſſimi *Tengnagelii* in margine N. XVII. invenio. *Veranii Modeſti*, *Barth. Nervii*, *Czecanovii* nomina adſumſiſſe *Caſſandrum*, norunt Eruditi. *Agr. Put.* aut *Pute.* vero quis Oedipus expediet? Ut enim *Georgius* (γεωργος) *Agricolam* det, nolim ſane ad κασσην (Meretricem) recurrere, ut e vocibus *Puttana*, *Putain* aliquid exſculpam. Rem itaque futuris *Placciis* in medio deſtituo, atque ad Codicem revertor. Incipit is: *Sacramenta agnoſcimus eſſe ſigna ſacroſancta, diuinitus a Chriſto inſtituta*